

11.

E P I C R I S I S
D E
V A R I I S H O D I E L I T E R A T O R U M
I N
T H E O L O G I A M O R U M

A C C U S A N D A , V I N D I C A N D A , R E F O R M A N D A
S T U D I I S , A C J U D I C I I S ,
Q U A E S T I O N I B U S I N A U G U R A L I B U S E X P O N E N D A ;

Q U A N D O

P. J O A N N E S J U N G S. J.

Ss. Theologiae Doctor, ejusdemque Professor P. O. & h. t. Facult.
Theologicae Decanus,

*Admodum Reverendos, Ornatissimos, ac Doctissimos DD. Phi-
losophiae Magistros,*

- R. D. STEPHANUM BOE ex Freckenfeld, Seren. ac Potent. Princ. Electoris
Palat. Titul. Cleric. Ss. Theologiae Emerit. & Ss. Canon. Auditorem,
R. D. JOSEPHUM SAMBUGA ex Walldorff, Seren. ac Potent. Princ. Elect. Palat.
Titul. in Sem. ad S. Carol. Cler. Ss. Theol. & Ss. Canon. Auditorem,
R. D. CLEMENTEM BAUR ex Schwandorff, Seren. ac Potent. Princ. Elect. Pal.
Tit. Cler. Ss. Theol. & Ss. Canon. Auditorem,
R. D. JOSEPHUM LEYSER ex Windischbusch, Seren. ac Potent. Princ. Elect.
Palat. Titul. & in Semin. Carol. Alum. Clericum,
R. D. J. BAPTISTAM KLEBER ex Pleiststein, Seren. ac Potent. Princ. Elect. Palat.
Titul. & in Sem. Carol. pro Ducatu Solisbacensi Alum. Clericum,

EX AUTHENTICO FACULTATIS THEOLOGICAE DECRETO,

Ss. THEOLOGIAE BACCALAUREOS BIBLICOS, ET FORMATOS

RITU SOLENNI IN AULA ACAD. HORA 8VA MATUT. DIE . AUG. 1773.
RENUNCIABIT.

LITERARII HONORIS ET STUDII THEOLOGICI FAUTORES, AMICI,
PATRONI ADESTE, FAVETE!




Heidelbergae, Typis Joan. Jacobi Haener, Typogr. Aulic. Acad.

**QUAESTIONES INAUGURALES,
P. PROMOTORIS,**

*Quam acria, ac diversa sint hodie, ac jam fuerint olim literatorum
in accusanda, vindicanda, reformanda morum Theologia studia,
ac judicia?*

DD. BACCALAUREORUM.

- I. *Quae prima Theologiae Moralis sint fundamenta? Et quam illa, contra ac hodierni cavillantur Materialistae Et Naturalistae, sint solida, ac perspicua?*
- II. *Quae sit literaria hujus disciplinae circa ejus ortum, progressum, fata, praecipuosque scriptores historia, compendio tradita?*
- III. *Quae sint vulgares, Et generales de morum Theologia querelae?*
- IV. *Quae sint summaria accusationum adversus Doctrinam Moralem Soc. JESU capita, hodie resuscitata? Et quae sanior de illis Crisis?*
- V. *Quae aequa videatur censura de famosis hodie Auctoribus Busenbaum, Et Lacroix?*



CONTENTA HOC OPUSCULO.

*QUAESTIONUM INAUGURALIUM PARS I. HISTORICA. **

- C. I. *Occasio argumenti in quaestionibus propositi, sive quam acria, Et diversa sint hodie, ac jam fuerint olim eruditorum in accusanda, vindicanda, reformanda morum Theologia studia Et judicia? p. 1.*
- C. II. *Notio, finis, praestantia, prima doctrinae Moralis Theologiae fundamenta Et c. pag. 8.*
- C. III. *Historiae literariae Theologiae Moralis epitome. p. 16.*

* Partem 2dam Apologetico-criticam dabimus alias.



CAPUT PRIMUM.

Quam acris & diversa sint hodie, ac jam fuerint olim literatorum in accusanda, vindicanda atque reformanda Christiana morum Theologia studia, ac iudicia?

§. I.


Equidem jam ab ipsis nascentis ecclesiae incunabulis propter nefanda *Nicolaitarum* (a) & *Gnosticorum* dogmata Christiana morum doctrina fuit in crimen vocata, gravissimisque impetita calumniis, atque a primis illis immortalis dignis praeconio orthodoxae religionis Statoribus *Iustino*, (b) & *Athenagora* (c) vindicata; sed haec remotiora a nostro scopo, aevoque, quam ut iis immorari libeat. Quare ad duo proxime elapsa, & quod excurrit, convertimur secula, ubi ardor morum doctrinam compendiis, ac systematica scribendi methodo, eandemque adversis studiis incusandi, cavillandi, tuendique mirum in modum efferbuit.

Pri-

(a) Apocal. II. 6. confer Euseb. L. 5. Histor. c. 29.

(b) Apologia pro Christianis ad Antoninum Pium.

(c) Apologia pro Christianis, Extat Tom. IX. Bibliothecae PP.



Primum itaque his temporibus Morali Catholicorum Theologiae bellum moverunt *Lutherus* (a) *Melancthon* (b) aliique ex Protestantibus, c) qui, quod mirere, cum sublatis jejuniorum, abstinentiae, afflictationis, sacerdotalisque continentiae legibus, vel consiliis in omnem licentiam froena laxassent; nostros mollioris, solutiorisque incusarunt morum disciplinae. Hos secutus est duces notissimus *Cornelius Jansenius*, qui inter alia scribere non dubitavit: (d) *plerisque christianis scientia recentioris Theologiae ad nihil deservit, nisi ut sensa diversa diversorum, suis apta cupiditatibus noscendo & sequendo, deposita simplicitate christiana versutiores, & probitate nequiores fiant.*

§. II. Haec initia; sed longe truculentior fuit tempestas, quae paulo post a *Jansenii* discipulis, sectatoribusque adversus Morales Theologos praesertim e Societate *JESU* fuit concitata. Cum enim adverterent, nova ac perniciofa, quae procudebant fidei dogmata, a Jesuitis potissimum cum voce, tum scriptis impugnari, horum indefessa sollicitudine, vigilia, contentione omnia detegi, arcanas machinationes in apricum educi, sacram ac politicam contra se auctoritatem inflammari, armarique; remque jam eo devenisse, ut & Romani Pontificis, & Gallicanorum Praesulum, & Regiae Majestatis decretis edictisque essent compressi, ac ferme confecti; hinc implacabili incensi vindictae cupiditate, ac furore, id summo conatu egerunt, ut, cum par pari referre se posse in falsis religionis dogmatis affingendis desperarent; saltem morum doctrinae a catholicis, & Jesuitis tradi solitae, infamiam aspergerent, itaque se purioris morum scientiae vindices, ac restauratores probarent. Prodierunt igitur famosae ad Provinciales literae a personato *Montaltio*, reapse *Blasio Paschale* fabricatae, ac deinceps a *Petro Nicolio* sub larva *Wendrockii* latine redditae, variisque animadversionibus locupletatae. Scriptum istud, ut fit in libellis contumeliosis, ob facetiarum sales, calumniarum insolentiam, quaesitaeque amicorum elogia, ab initio cum plausu exceptum, sed re melius perpensa, non tantum a Romano Antistite, Galliarum Praesulibus, sacra Inquisitione Hispana; verum etiam ipsarum Curiarum Gallicarum sententiis, sanctiorisque concilii Regii decretis fuit damnatum, manuque carnificis infami rogo injectum. (e)

Nihi-

(a) Libro Resolut. contra Concl. Eckian. Concl. 2.

(b) Latens sub nomine *Thomae Didymi*.

(c) *Pierre du Moulin* catalogue, ou denombrement des traditions Romaines.

(d) Libro Proemiali C. 8.


(e) Authentica sententiarum contra literas Provinciales latarum apographa praefixa habes *Dialogis P. Daniel*, an. 1696. Augustae Vindelicorum editis hoc titulo: *Cleander & Eudoxus, seu de*

Nihilominus hae ipsae literae, (a) toties confixae, & atro stigmatate notatae, tantam apud multos hodieum obtinent fidem, ut inde velut ex armamentario pleraque adversus Theologiam nostram Moralem criminationum tela depromantur. Sane illarum vestigiis strenue institerunt non ii duntaxat, qui ex Janfenianorum factione deinceps sunt secuti in Galliis, Belgio; sed nonnulli etiam orthodoxi, vel aemulatione, vel praepudiciis, vel immolico rigidioris doctrinae studio abrepti, quos inter *Contentsonius*, *Vincentius Baronius*, *Natalis Alexander*, ceteri.

§. III. Neque tamen sibi ipsi tum defuerunt nostrae Soc. Theologi, sed his omnibus cumulatam reddiderunt vicem clara, & aeternum in eruditorum fastis memoranda nomina *P. Gabriel Daniel* in suis Dialogis miro sermonis & argutiarum lepore, eruditioneque Theologica concinnatis, epistolisque ad Natalem Alexandrum exaratis, (b) *Despreau*, (c) *Honoratus Fabri*, (d) *Franciscus Anatus* (e), *Stephanus de Champ* (f) aliique. (g) Atenim paucis ab hinc annis antiquam recoxit de inquinata apud nostros morum disciplina cavillationem *P. Daniel Concina* in Italia (h) qui Jesuitas tamdiu scriptis & calumniis est persecutus, donec soluto per paralyfin brachio scribere, ac vivere desuit. Neque tamen inde perterriti Antagonistae subsidiarii, *Patuzzius*, *Besombes*, *Dinellius*, *Migliolius*,
Λ 2
Ange-

de Provincialibus literis dialogi. Exustae sunt Provinciales literae jussu Senarus Aquensis an. 1657. 9. Febr. Parisiis decreto sanctioris Concilii Regii 1660. 23. Septemb. Damnatae a S. Inquisitione Hispana nonis Junii 1693. Ab Episcopis Galliae, Doctoribus & Professoribus Facultatis Theolog. Parisiensis 1660. 7. Sept. A Congregatione Generali Sanctae Romanae & universalis inquisitionis an. 1657. 6. Sept.

- (a) Novam annuntiarunt editionem Recensiones Goetinganae Brunsvici, ni fallor, curandam, optandum ut iisdem adjiciantur elegantissimi *P. Danielis* Dialogi Apologetici, ut lector libris utrinque momenti de rei veritate pronuntiare possit. Prodierunt primum literae provinciales sub hoc titulo: *Les Provinciales ou lettres ecrites par Louis de Montalte a un Provincial de ses amis & aux RR. PP. Jesuites sur la Morale & la Politique de ces Peres. avec les notes de Guillaume Wendrock Docteur en Theologie &c.*
- (b) Extant in Theologico Thesaur. Dissertat. Tom. IV. p. 351.
- (c) Conf. Epistol. duas contra Apologiam Provincialium.
- (d) Apologia Theolog. Moralis.
- (e) Premiere reponse &c. I. & 2. lettre a Philarque, imposture. Item la bonne foy des Janfenistes.
- (f) Quaestio facti, utrum Theologorum Soc. Jesu propriae sint sententiae &c. Hanc praemittit *P. Zaccarias* editioni recentissimae Patris *Lacroix*.
- (g) *Historia Provincialium* literarum Tom. I. earundem Coloniensis, vel potius Genevensis edit. an. 1739. praemissa. Ex his colliges, qua fide & crisi *Petrus Millerus* (conf. D. J. E. *Millers* vollständige Einleitung in die theoloaische Moral. an. 1772. S. 369. scribere potuerit, Jesuitas literis Provincialibus nullum idoneum scriptorem opponere potuisse. Sed de hoc maligno critico, vel potius maledicentissimo Theologiae Moralis Catholicae calumnitore alibi redibit sermo.
- (h) Vid. *Quadragesima Apellans*. Theologia christiana Dogmatica Moralis, Romae 1749. Apparatus ad Theologiam christianam. *Historia Probabilismi*,



Angelus Franzoya, *Mamachius* (a) qui coeptum cum populorum scandalo non tam bellum literarium, quam convitium continuare non dubitarunt.

Sed hae pugnae umbratiles, si cum cruentis in Gallia praeliis comparentur. Occasione ex famosa Patris *la Valette* lite arrepta, nihil intentatum reliquerunt DD. *Chauvelin*, *Chalotais*, *Ripert de Monclar*, (b) aliique vel ex *Theistarum*, vel *Jansenianorum*, vel *Rigoristarum* factione, ut Moralem Jesuitarum Theologiam teterrimis depingerent coloribus, & hoc pacto ad diu meditatam Societatis excidium junctis studiis ac viribus exequendum, viam sternerent. Inter libellos criminosos plusquam 140. uno anno effusos, praecipua hoc loco consideratione dignae sunt *Affertiones*, & *Synopsis assertionum periculofarum ac perniciosarum*, quas omni tempore sic dicti *Jesuitae* docuerunt. (c) Tetrum monstrum, cujus primus parens *Petrus Molinaeus* in suo catalogo Traditionum Romanarum supra laudato, quod deinceps DD. *Perault*, & *Paschal*, deterfis *S. Thomae*, *Navarrae*, substitutisque Jesuitarum nominibus, mutato titulo in *Theologiam Moralem Jesuitarum* expoliverunt, & demum quatuor religiosi sub nomine *epitomes assertionum* ad umbilicum perduxerunt.

§. IV. Atque ex his fontibus sua hauserunt sensa recentiores scriptores acatholici, *Harrenbergius*, *Moserus*, (d) Bibliotheca nova *Theologica*, (e) *Germanica* universalis, (f) *Recensiones* literariae *Goetting*. (g) *Petrus Millerus*, (h) *Baumgarten*, (i) aliique passim, qui praeconceptis suis opinionibus tam pertinaciter adhaerent, ut de depravata apud nos morum doctrina nullum relinquunt dubitandi locum. (k)

Atenim

(a) Videat. praesertim orthodoxia Palafoxii.

(b) Confer. compte rendu au public des oeuvres legales de Mr. Ripert de Monclar a Arles 1764.

(c) Pragmatische Jesuiter Geschichte.

(d) *Joh. Jacob Mosers* Abhandlungen aus dem deutschen Kirchenrecht. an. 1772.

(e) *Johann August Ernesti* neue theolog. Biblioth. 10. Bandes S. 319. item 9. Bandes S. 256.

(f) *Allgemeine deutsche Bibliothek* 13. Bandes S. 484 item 17. Bandes 2. Stück an. 1771.

(g) *Göttingische Anzeigen von gelehrten Sachen*. an. 1771. S. 473.

(h) *Abhandlung von dem Eid und Meineid*. s. 1771. Item vollständige Einleitung in die theol. Mor.

(i) *Unterricht von dem rechtmäßigen Verhalten eines Christen* an. 1756. S. 5.

(k) Juvat hic exseribere verba ex Recension literariis Goettinganis an 1770. S. 516. Eisenmengers entdecktes Judenthum, ajunt. von dem Herrn Wölbele redet, und Herr Mendelssohn antwortet, ist auch wohl, so weit wir die Sache einsehen, kein Buch, aus dem man die Sedenkungsart gelehrter, oder ehrlicher Juden kennen lernen kann. Wenn ein Jud ein entdecktes Christenthum schriebe, und gäbe darinn für Grundsätze des Christentums aus, was vielleicht in einer jesuitischen Casuistik stehet, wie würde es uns gefallen. Ubi luculente se prodit malignus, & partium studiis occupatus criticorum animus, cum loco a re iam alieno de nostra morum doctrina injecere mentionem, eamque esse depravatam, velut rem certam & exploratam praesumant; idque nullis adducti probationibus, nisi forte iis, quas nostri esse calumnias & saepe demonstrant, & constanter, donec ostendatur oppositum, contendunt. Sed quidquid sit de Jesuitica Morali disciplina; certe nullus Jesuitarum unquam ejusmodi morum

Atenim audienda quoque heterodoxorum juris naturalis Magistrorum hac in re censura, qui, quemadmodum sibi solis inventae jurisprudentiae naturalis gloriam vendicant, ita in Theologos praecipuam incultae Moralis scientiae culpam conjiciunt, (a) idque praeter alia vitio vertunt, quod in hac disciplina principia, praecipuaque divinitus tradita cum Ethicis perpetua confusione miscuerint.


§. V. Verum cum hoc loco mei duntaxat sit instituti historicam exhibere de variis censuris, ac concertationibus de Theologia Morali incusanda, tuenda, expolienda notitiam, sufficiat indicasse, quod palmaribus *Concinae* mendaciis, aliisque succenturiatis ejusdem administris non minori cum modestia ac soliditate responderint, neque, ubi opus erat, lixivio pepercerint nostri scriptores *Nocettius*, (b) *Gravina*, (c) *Mannhard*, (d) *Zaccaria*, (e) *Irenaeus Venetus*, (f) *Lechius*, (g) *Richelmus*, (h) *Zechius*; (i) *Mamachii* autem graecam fidem, venalemque calamum nuper admodum false perstrinxerit macula in animadversiones Domuum Bourbonicarum de Jesuitismo episcris, cujus opusculi auctor ostendit, intima totius causae adyta, ac penetralia sibi esse perspecta. (k)

A 3

Pariter

zum praeepta docuit, quae Islebianus purioris evangelii Apostolus suis proponere non dubitavit, dum epistola ad Melancthonem Tom. I. Jen. Lat. edit. f. 345. scribere non erubuit: *pecca fortiter id e. Sündiae tapfer, aber glaube desto stärker, und freue dich in Christo, der ein überwinder der Sünden, des Todes, und der Welt ist: wir müssen sündigen, solange wir in der Welt sind. Es ist genug, das wir durch den Reichthum der Herrlichkeit Gottes das Lamme Gottes erkannt haben. Von demselben wird uns keine Sünde scheiden, ob wir gleich tausend, und aber tausendmal Huren, und todtschlagen. Et rursus Libr. de captivitate Babylon C. de Baptis. Tom. 2. Jenen. Lat. f. 271. Derjenige, so glaubt, kan nicht verdammt werden, wann er auch schon gern wollte, er mag Sünden thun so groß, und oft er wolle, wann er nur nicht ungläubig wird. Vide eloquentissimi Ecclesiae Cathedralis Augustanae Concionatoris P. Aloyfii Merz S. J. Frage, ob es einem Wunder gleiche, daß Luther in kurzer Zeit sich so viele Anhänger zugezogen habe. an. 1766.*

- (a) *Thomasius in Tractatione Juridica de Jure Asyli Legatorum aedibus competente. Halae Magdeb. an. 1730. Puffendorf &c.*
- (b) *Veritas vindicata. Rom. 1753.*
- (c) *Conclusiones Theologicae critico-Ethicae de usu & abusu opinionis probabilis. item Trattamenti Apologetici.*
- (d) *De ingenua indole probabilismi*
- (e) *In notis ad editionem Patris Lacroix & Storia letteraria d'Italia.*
- (f) *Ad Calcem editionis P. Lacroix a P. Zaccaria Ravennae curatae; Irenaei Veneti ad Angelum Franzozan de Theologia morum &c.*
- (g) *Avvertenze Theologiche.*
- (h) *Epistolae ad Balerinium.*
- (i) *Rigor moderatus doctrinae Pontificiae circa usuras.*
- (k) *Riflessioni dell' autore d'un foglio intitolato, Riflessioni delle corti Bourboniche sul Gesuitismo. Libellus insignis nuper Germanice redditus h. t. Bedenken der Bourbonischen Höfte über den Jesuitismus, mit Anmerkungen beleuchtet. Freystatt au. 1773.*



Pariter pessimam fidem, pudendasque in truncandis, adulterandisque nostrorum Theologorum locis fraudes, quæ quatuor religiosi in consuenda *Affertionum Synopsis* sunt usi, luculenter retexuere inprimis clarissimum Galliae lumen, & invictus Catholicæ religionis heros Archiepiscopus Parisiensis de P. *Beaumont*, (a) ac post eum præ aliis memorandus auctor Anonymus, qui ex instituto assertionum epitomen convellit. Quo in opere (b) plusquam 400. loci demonstrantur, quos male feriat synopsicos fabricatores summa cum perfidia vitiarunt, mutilarunt, supposuerunt. Quamquam qua fide in tota hac causa contra nos actum sit, tacentibus omnibus illustrissimo documento est authentica *Ripertii de Monclar* revocatio, paulo ante obitum manifestata, dein publici juris facta, & rerum novarum commentariis inserta, (c) nec non luculenta Gallicanorum Episcop. Parisiis eum in finem Regis jussu congregatorum responsio, seu potius pro Jesuitis Apologia. (d) Neque *Harrenbergio*, aliisque ejus contribulibus impune fuit, male coherentia, atque ex lutulentis petita fontibus, obtrudere orbi mendacia. Hunc enim magna cum moderationis, eruditionis, & festivi ingenii laude depexuit *Historia Jesuitarum critica*, (e) de cujus operis præstantia id dixisse sat sit, quod ad ceteros quoque venales criticos aliosque vel imperitos, vel malignos harum calumniarum nundinatores confutandos nulla re, nisi hujus libelli lectione opus sit, sed animo præjudiciis, & partium studiis libero suscepta. (f)

§. VI. Quid jam postremum de cavillosis illis juris naturalis interpretibus supra memoratis dicam, aut dicendum restet ultra id, quod ante me occuparunt cl. viri *Schwarzius*, *Dessingius*, *Sutorius*, invisa, scio, criticis Aquilonaribus nomina, sed in eorum animis, qui norunt, quid distent aera lupinis, æternum victura; cum in his scripto-

(a) Instruction Pastorale de Mgr. l'Archeveque de Paris sur les atteintes données à l'autorité de l'église dans l'affaire des Jésuites.

(b) Réponse au livre intitulé: Extraits des assertions dangereuses, & pernicieuses en tout genre, que les foidisans Jésuites ont, dans tous les tems & perseveramment soutenues, enseignées & publiées dans leurs livres, avec approbation des superieurs & Generaux, vérifiées & collationées par les commissaires du Parlement.

(c) Vide Gazette de Cologne N. 22. 27. 28.

(d) Avis des eveques de France p. 15. Sire . . . les accusations intentées aujourd'hui contre les Jésuites . . . ne sont, qu'une repetition de ce, qu'on a écrit, & débité pour les rendre odieux, il y a plus de 150. ans. Quo testimonio a iudicibus legitimis prolato, nescio, an in hac causa quidquam possit esse illustrius.

(e) Critische Jesuiten Geschichte, worinn aus lichten Quellen kurz hergeleitet etc. Frankf. 1765.

(f) Hac animi comparatione notissimus ille criticus P. Bayle vindicias nostras legerat, dum lettres 322. à M. Pecher Tom. 4. p. 863. ita scribit: J'ay eu la curiosité de lire ce, que les Jésuites ont répondu aux accusations de leurs ennemis, ce qu'on leur a répliqué, ce qu'ils ont répliqué eux mêmes. Et il m'a paru, qu'en plusieurs choses leurs accusateurs demouroient en reste. Cela me fait croire, qu'on leur impute beaucoup de choses, dont on n'a aucunes preuves; mais qu'on croit facilement à l'intigitation de préjuges.

ptoribus praeter styli acrimoniam, adversariorum quidem inhumanitate provocatam, pro seculi tamen nostri genio mitigandam, nil quidquam exoptes. (a)

Atenim nimis diu haesimus in eorum crisi ac censuris recensendis, qui non nisi calumniandi animo de reformanda inter christianos morum scientia scripserunt; nunc paucis etiam de iis orthodoxis aliquid dicendum, qui sincero purioris doctrinae studio ducti, hoc negotium sunt aggressi. Quo in genere primus procul dubio debetur locus sacrosanctae Ecclesiae in celeberrimo, ad quod piissimorum, eruditissimorumque ex orbe Catholico virorum flos confluxerat, Concilio Tridenti congregatae, ibique saluberrima, sanctissimaque de morum (b) Reformatione decreta condenti. Alterum obtinet locum suprema Rom. Pontificum cura ac vigilantia, in omnem, qua late patet, Christianae R. P. partem intentorum, abusus tollere, noxiaque proscribere dogmata satagentium. (c) Huc etiam spectat laudatissima illa cleri Gallicani saepissime eum in finem coeuntis, suaeque Ecclesiae utilissimis de emendanda morum disciplina sanctionibus prospicientis sollicitudo. Neque vero reprehendenda crebra hoc tempore privatorum etiam Theologorum (d) studia, qui suis consiliis, doctissimisque lucubrationibus ad augendum inter nostros Theologiae Moralis splendorem, servandamque doctrinae puritatem pro suo quisque sensu conferre aliquid laborant, dummodo haec omnia, cum

(a) His adde: P. Antonii Hochkirchen O. FF. Eremit. S. Augusti, orthodoxam juris Naturalis & Gentium Prudentiam. Et J. Francisci Fineti de Principiis J. N. & G. adversus Hobbesium, Pufendorffium, Thomastum, Wolffium, & alios, Libros XII.

(b) Vide Decreta de Reformatione morum, definitionibus in materias fidei passim subnexa.

(c) Notissimae constitutiones Alexandri VII. Innocentii XI. Alexandri VIII. quibus facile 143. perniciose morum placita, aut nimia facilitate & laxitate, aut nimio rigore peccantia proferuntur. Omissis multis, quae apud Lacroix & alios extant, juvat pertexere Catalogum Epistolatum encyclicarum, & decretorum Benedicti XIV. materiam morum respicientium; quibus subjunguntur quaedam etiam a Clemente XIII. vulgatae Encyclicae igitur Benedicti XIV. huc spectantes sunt septem. 1^{ma} De jejunio an. 1741. 2^{da} & 3^{ia} De eodem argumento. 4^{ta} Super missarum stipendio: 5^{ta} Super missa Parochiali, & Conventuali. 6^{ta} Super usura. 7^{ma} De matrimoniis secretis. Decreta hic memoranda sunt novem. 1^{um} & 2^{um} Contra sollicitantes, & complices peccati turpis. 3^{ium} Contra sollicitantes, & sacrificio missae abutentes. 4^{um} Contra confessarios exquirentes nomen complicitatis. 5^{um} Super oratorii privatis. 6^{um} Super clausura Monialium. 7^{um} Super clausura religiosorum. 8^{um} Super matrimoniis HH. 9^{um} Super Dispensationibus in Matrimoniis. Clementis XIII huc referenda (1) constitutio de jejunio an. 1759. 20. Decemb. (2) Decretum an. 1761. 26. Febr. contra theses aliquas in favorem sententiae probabilis Tridenti propugnatas. Optandum, ut haec omnia publici juris facta ad plerumque veniant notitiam. Habes haec in dissertatione prodruma Theologiae Morali Illustris D. de Ligorio a P. Zaccaria praefixa.

(d) Confer Mabillonium Traité des études monastiques, Muratorii epistolam Paraeneticam ad superiores, Professores, & Lectores Italiae pro emendatione studiorum monasticorum. Martini Gerberti Apparatum ad erudit. Theologicam. Item de recto & perverso usu Theologiae scholasticae, nec non aequam morum censuram adversus rigiditatem & remissionem. Rursus Muratorii Reflexioni sopra il buon gusto. Car. Duplessis Elementa Theologica. Anonymi methodum studendi Theologiae, Dupinii methodum studii Theologici.

cum ea, quae literatos decet, modestia, (a) ac humanitate, sine fastu, aliorumve despicientia, sine scommatis, mordacibusque diceriis, quae canum, non hominum, non christianorum arma sunt, peragantur.

Interim ne pro sua comitate *Puffendorffius* aut *Thomasius* aliquis in nostram quoque morum Theologiam Horatianum illud intorqueat: rudis, indigestaque moles; antequam ad quaestiones inauguales ceteras, quantum per tempus & impensas licuerit, vulgandas progrediamur, hujus scientiae naturam, notionem, ac prima fundamenta, tum historiam literariam de ejusdem ortu, ac progressu, praecipuisque hoc in genere scriptoribus, & demum totius systematis nexum, oeconomiamque oculis subjiciemus.

C A P U T II.

Notio, Finis, praestantia, prima Doctrinae Moralis Theologicae fundamenta, nexusque cum jure Naturali.

§. I.

Cum omnis recte instituta disputatio, monente *Tullio*, a finitione sit inchoanda, prae omnibus notandum, quod, quemadmodum generatim numinis, rerumque divinarum scientiam graeco vocabulo *Theologiam* nuncupamus; sic illa Theologiae pars, quae docet Christiani hominis officia, adeoque viam, ac media ad veram consummatamque felicitatem cum in hac, tum in altera vita consequendam, vocetur *Theologia Moralis*.

Schol. 1. Ampliore significato hic accipimus nomen Theologiae Moralis, quam fecit *Ludovicus Bail*, (a) qui putat, solum spectari a Theologia morum, quid fit

(a) An modestiae charitatisque sat memor fuerit *Corbinianus Luydel* Scriptor nec indoctus, nec indifertus ex celeberr. Ord. FF. Min. Recoll. dum praeter morem hujus inclyti Ordinis nostrae Societatis Theologos non uno loco perstringere, eisque laxioris doctrinae Moralis notam aspergere nititur, aliorum esto Judicium. Vide ejusdem Institutiones Theologiae moralis Christianae, ubi solis prolegomenis de locis Theologicis hujus disciplinae quatuor tomos implevit, & maxime Praefationem. Item Theologiae Moralis christianae Partem I. pag. 12. ubi de crisi nostri Patris *Zaccariae*, ejusque sociorum in historia literaria Italiae adversus Concinaum agens: *verum*, ait, *suspiciosi homines dum ita de nomine liticulam commoverunt, suomet ipsi indicio, instar soricum sese prodiderunt; occasionem namque praebuerunt, alteram non minus invidiosam de se suspensionem concipiendi, videlicet non maxime ad Christi doctrinam in Evangelio contentam, suam ipsos Theologiam conformasse.*


(b) *Summa Concil. Tom. II, p. 811. in Prolegom. Zaccariae ad edition, Lacroix p. 58.*

fit licitum, vel illicitum iis casibus, ubi leges silent, & nihil dicunt, adeo, ut ejus ratio potissimum in epiikia versetur. Atenim meo judicio vastiores habet limites haec disciplina, adeo, ut omnia vitae christianae officia, sive ex rationis lumine, sive ex revelatione cognita suo sinu complectatur. (a)

Coroll. Ex his patet, quanta sit hujus scientiae praestantia, imo necessitas, utpote quae ex instituto viam ad veram, consummatamque monstrat felicitatem, ad quam mortales omnes tam ardenti, & insatiabili feruntur desiderio. Sed nescio, quo fato fieri dicam, ut cum elegantiore nostro, ac literarum amantissimo seculo tanto cum fervore reliquae excoluntur artes ac scientiae, quae utcumque aliquid ad humanae societatis beatitatem, ornatumque conferre queant; illa ferme negligi videatur disciplina, cujus proprium est munus, homines ad beatam vitae tranquillitatem, tam in hoc, quam futuro aevo obtinendam, velut manu ducere, quaeque tantum ceteris praestat literis, quantum divina humanis, caelestia terrenis antecellunt. Quo loco haud praetereunda censui illa quorundam hominum literatorum vota, quae optant, ut, quemadmodum in politicis, aliisque utilioribus artibus late per Europam mos invaluit, sic in studio quoque Theologico insignium Mecoenatum liberalitate doctorum hominum constarentur Academiae, statis diebus haberentur conventus, (b) vulgarenturque literarii commentarii, in quibus catholicorum quoque per Germaniam annuntiarentur lucubrationes, neque maligno, ut passim faciunt critici acatholici, rodantur dente, sed sana cum crisi recensentur, proponerentur (c) quoque palam eruditae quaestiones, victoribus decernerentur praemia, itaque ecclesiasticorum saltem animi ad pulcherrimam hanc, maximeque necessariam scientiam magis excolendam, alii ad eandem pluris faciendam incitarentur.

Schol. 2.

- (a) Nec dissentit cl. *J. Baptist. Gener S. J.* in sua *Theologia Dogmatico-Schol.* perpetuis pro-
 lusionibus polemicis historico-criticis, nec non sacrae antiquitatis monumentis illustrata, ad-
 mirabili eruditione referta. Romae an. 1767. Tom. I. p. 293. Quin conspirat nobiscum celebris
 scriptor acatholicus cl. *Gellert*: confer *Moralische Vorlesungen* S. 9. 1. Bands an. 1771.
 Item orationem praesente Serenissimo Principe *Francisco Xaverio* habitam: *Von der Beschaf-*
fenheit, dem Umfang, und Nutzen der Moral. an. 1766.: *Die Moral, ist, soli uns also*
lehren, was unser wahres Glück, oder unser höchstes Gut sey, das ist, was für ein Ge-
schöpf, das aus einem unsterblichen Geiste, und aus einem hinfälligen Körper bestehet, am
zuträglichsten der Ruhe der Seelen, und der äußerlichen Wohlfahrt am gemäsesten sey,
und auf was für einem Wege wir am sichersten zu diesem Ziele gelangen können.
- (b) Confer *Martini Gerbert* Apparatum ad eruditionem Theologicam Praefat. Exemplum
 etiam habes in *Academia Immaculatae conceptionis B. M. V. Rhoromagi*, cujus programma
 pro an. 1773. vide in *Journal Ecclesiastique* par M. l'Abbé Dinouart a Paris 1773. *Juil.* p. 95.
- (c) Equidem non assentior auctori des aufrichtigen und gewissenhaften Bedenken &c. . . eines
 alten hochverdienten Staats-Ministers, qui pag. 19. nov. edit. an. 1773 de hominum ec-
 clesiasticorum ignorantia ita ait: *Vor der Reformation waren noch die wenigen Wissenschaf-*
ten in deposito bey der Geißlichkeit, jetzt aber die Unwissenheit . . . Placent potius vindi-
ciae falsae non minus, quam eruditae ejusdam anonymi in den vertrauten Briefen zwi-
schen einigen Geißlichen . . . 2ten Bands an. 1773. S. 92 &c. Non dubitem tamen, quin
 ejusmodi incitamenti multorum confopitus sit extimulandus ardor, adeoque ex illis plus longe
 emolumenti, quam ex pervertis istius pseudopolitici consiliis in religionem sit redundaturum.



Schol. 2. Ex notione §. 1. data liquet etiam discrimen inter Theologiam *Moralem*, *Ethicam*, & *jus naturae*. Discrepant enim praecipue ratione finis, ac principiorum. Quamvis enim Theologia morum omnia Juris Naturae, atque *Ethices* comprehendat officia; tamen in iis haud quiescit, sed ulterius progreditur, hominesque ad felicitatem longe excellentiorem, puta supernaturalem transferre studet, simulque fontibus aliis utitur multo securioribus ac limpidioribus ex divina revelatione petitis, ex quibus morum placita haud paulo certiora, defaecatioraque haurire licet. Verum cum definitio §. 1. aliqua contineat, praesertim de fine, ac beatitudine perfecta hominis, quae vel majori indigere luce, vel a quodam mortalium genere (Philosophos se vocant) in dubium vocari posse videantur; hinc operae pretium erit, rem ab incunabulis arcessere, & ipsa Doctrinae Moralis christianae fundamenta paucis constabilire.

§. II. Primum igitur dari mihi postulo contra Atheos & divinitatis hostes, esse ens aliquod summum, (Deum vocamus) quod quidem ab omni retro aeternitate se solo beatum, & in se actuosum, quo demum tempore placuit, secundum inexplicabilis sapientiae suae consilia res alias extra se condidit, non alio fine primario ac ultimo, quam ut suam etiam extrinsecus illustraret gloriam, divinasque perfectiones in rebus creatis manifestaret. Neque enim sapientissimus hujus universi architectus alium sibi finem praestituere potuit nisi praestantissimum, qui indubie est gloria conditoris, ex perfectionum manifestatione oritura, tanto excellentior finibus ceteris, quantum Deus ipse creata omnia antecedit.

Schol. Non est hic locus pugnandi contra Theomachos; his enim si forte pagellae uterentur lectoribus, inclamo istud *Horatii*: odi profanum vulgus, & arceo. Nam isti, cum nequidem rectae rationis sequantur ductum, neque ipsius naturae recipiant magisterium, quae stupenda illa rerum multitudine, ordine, pulchritudine, proportionem mediorum ad certos fines, provida mundi gubernatione, & communi demum mortalium sensu suum auctorem fatis testatur, ad percipienda Theologiae christianae dogmata minime sunt initiati. Quanquam & illud ambiguum, an sint, vel unquam fuerint veri athei, quos *Theoreticos* appellamus, puta, qui serio, & rationibus persuasi negant esse Deum? Etenim quamvis reperire sit atheos *practicos*, videlicet, qui ita vivunt, ac si Deus non esset, quique etiam optant, scribunt, edisserunt non esse Deum; tamen qui momentis ducti, & ex animo id contendunt, non oblucente intimo animi sensu, vix ullos, aut certe rarissimos invenias: ex quorum grege fortassis erit praeter antiquiores *Diogoram*, *Vaninum*, *Spinosam*, recens auctor Anonymus *Systematis naturae*. (a)
Verum

(a) Quis auctor tenebricosi operis, incertum; lubet excerptere, quae de hoc argumento ad me 15. Julii an, 1773. ex ditionibus Gallicis ab erudito amico sunt perscripta; *Le Systeme de la nature*

Verum hi suamet culpa, puta assuetudine male vivendi, ac philosophandi in hunc errorem sunt prolapsi, unde vitium non tam est mentis, quam voluntatis malignis affectionibus depravatae, quo sanato etiam error intellectus facile confanabitur. (a)

§. III. Quae §. 2. indicata fuit divinorum attributorum manifestatio, cum fieri nequeat sine agnitione; agnitio autem foret sterilis ad conditoris gloriam, nisi accederent subjectionis, adorationis, & amoris affectus: hinc rebus creatis opus erat, quae mente, vi intelligendi, ac voluntate essent praeditae, quae procreatorem suum agnoscerent, cum subjectione adorarent, super omnia amarent, aestimarentque. Cumque gloria illa tanto foret major, quanto plures in mundo condito elucerent dotes; hinc admirabilis ista rerum varietas, quae suis perfectionibus, operationibusque cujuslibet naturae propriis procreatoris laudes mirum in modum exaggerant. Porro quoniam nihil magis servit cum ad summi auctoris existimationem augendam, tum ad subditi laudem meritumque extollendum, quam obsequium supremo Domino sponte delatum; statuit mentibus humanis liberi arbitrii usum concedere, officiaque ultro-nea, ad finem praestitutum accomodata deposcere.


Schol. Esse in homine liberum arbitrium tanquam omnis Moralitatis, laudis, vel vituperii fundamentum, Psychologi ex sensu intimo, communi, praemiis ac suppliciis; dogmatici Theologi ex luculentis S. paginae, sanctorumque PP. testimoniis evincunt. Nobis hic immorari haud licet.

B 2

§. IV.

nature, qui enseigne l'atheisme tout pur, a été mis au jour sous le nom de feu M. de Mirabaud Secrétaire perpetuel de l'Académie Française, qui a toujours respecté la religion; mais toute la France est pleinement convaincue & rend justice à l'illustre mort de penser, qu'il n'est pas l'Auteur de cette affreuse production. L'artisan ténébreux, qui a fabriqué cet-ouvrage infernal, a cherché à mettre un tombeau entre lui & le Magistrat vengeur d'un si grand attentat. Impius liber plurium scriptorum in se calamos concitavit, (1) celeb. Canonicum ad R. V. Parisiis D. Bergier, qui scripsit: Examen du materialisme, ou refutation du système de la nature II. Part. Götting. gelehr. Anzeig. an. 1773. 154. & 157. Stück. Vide etiam (2) observation sur le livre intitulé système de la nature par M. Castillon Docteur en Droit & en Philosophie &c. Journal des sçavans m. Maj. an. 1773, p. 289. (3) Reflexions Philosophiques sur le système de la nature par M. Holland à Paris. Journal de sçavans Juin 1771. p. 465. (4) Requisitoire sur le quel est intervenu l'arrêt du Parlement du 18. Août 1770. Walchs neueste Religions-Geschichte an. 1771. (5) Avertissement du clergé de France &c. an. 1770. Ipse quoque Voltairicus interdum Atheum agit. Vide Diction. Philosoph. portat. Articles Ame, Guerre.

(a) D. Mejer in seinen philosophischen Betrachtungen über die Religion, non soli affectuum depravationi, sed saepe ignorantiae, mentisque hebetudini tribuit incredulitatis culpam; qui bus assentior, dummodo fateatur hos ignorantes, quantum ad Dei existentiam, aliaque ad salutem omnino necessaria haud vacare culpa. In his enim divina providentia decisse haud potest. V. allg. gemeine deutsche Biblioth. 9. Band 1. Stück S. 21.



§. IV. Isthoc obsequium per actiones liberas §. 3. exhibendum, quibus homo conditoris promovere gloriam, & ad suum debet finem contendere, comprehenditur triplicis generis officiis, scilicet amore erga Deum, seipsum, alios, rite exercendo. Quodsi enim tergeminus ille amor in humano genere, ut par est, viguerit, summa inde consequetur felicitas, & pax hominis triplex, videlicet cum Deo, secum ipso, cum ceteris, summaque simul in optimum auctorem redundabit sapientiae, potentiae, bonitatisque laus ac commendatio.

Coroll. Ex his fluit ea, quae ad trinum illum amorem, felicitatemque procurandam spectant, necessario a provido humanae naturae rectore fuisse praeci- pienda; quae repugnant, prohibenda; secus egisset aliquid indignum sua sapientia ac providentia, quod tam parum fieri potest, quam Deus cessare potest esse Deus. Porro voluntas, qua ea, quae ad finem creationis sunt necessaria, praecipuntur, contraria vetantur, ab philosophiae Moralis magistris vocatur *lex Dei aeterna*; non quod jam ab aeternitate constituta & perfecta fuerit lex aliqua, cum & subditi, & promulgatio defuerint; sed quod semper, ac necessario in Legislatoris decreto extiterit, suo tempore vulganda, & quod hac aeternitatis apellatione a legibus divinis libere latis, quas positivas vocamus, discernenda fuerit.

Schol. Haec ipsa lex aeterna conditoris per rationis lumen promulgata, est *jus naturale*.

§. V. Id, ad quod aliud, ut recte fiat, dirigi debet, *regula* dicitur; cum igitur actiones hominum liberae ad illam aeternam Dei Legem formari, accomodarique debeant, haec jure apellatur *regula*: cumque mos sit consuetudo libere aliquid agendi, indeque actiones humanae debita cum cognitione & electione exercitae mores compellentur; patet, cur eadem numinis lex passim *Regula morum* audiat.

§. VI. Cum nemo possit legem implere, aut actiones suas secundum ductum alicujus regulae moderari, multo minus propter ejus violationem puniri, nisi eam agnoscat; propterea illa divinae voluntatis sanctio ab aeterno concepta, debebat hominibus in tempore conditis manifestari: id quod mirabili artificio praestitum a supremo naturae fabricatore, per lumen aliquod animae congenitum, quo, dum cum deliberatione agimus, statim agnoscimus, & intus admonemur, actionem aliquam esse prohibitam, inhonestam, vel contra. Haec agnitio vel judicium, quo discernimus licita & illicita, Theologis dicitur *conscientia*, vel dictamen *conscientiae*; ipsa
facul-

facultas ita judicandi, discernendique bona & mala, vetita & praecepta, mihi est recta ratio, seu lumen rationis.

Schol. 1. Hoc judicium cum sit hominis menti insitum, adeoque quam maxime propinquum, recte factum in scholis, ut discriminis causa compellaretur *regula morum proxima*; cum contra illam aeternam Dei legem, quippe quae extra mentem humanam in Dei voluntate extat, vocitarint regulam *remotam*.

Schol. 2. Trica inutilis mihi videtur illa quaestio, an *conscientiae sedes* potius in sensu intimo cum *Bardtio*, (a) an in intellectu cum cl. *Ernesti* (b) sit reponenda?

§. VII. Cum homo §. 3. libertate gaudeat, eaque abutens a constituto sibi fine, & morum regula possit aberrare; sufficiente remedio erat opus provido gubernatori, quo homines ad prosequendum finem, & ad implenda incitaret officia. Id autem in rebus, quae libere ad praefixum sibi moveri debent scopum, aliud esse non poterat, quam bonum ac praemium sat magnum cum honestis, & contra grande aliquod malum cum actionibus inhonestis, & Legislatoris contemptu conjunctum. Illud sapientissima invenit providentia in beata felicitate concedenda animo immortalis; istud in jactura beatae illius sortis, & cruciatibus post mortem decretis. Aequum igitur fuerat, ut hos impiis, & numinis legem §. 4. *coroll.* spernentibus; istam vero probis ac morigeris post vitam mortalem destinaret.

Schol. 1. Geminum hic consummatae sapientiae ac bonitatis arcanum admirari fas est; alterum quod humani generis auctor finem procreationis principem ita cum hominis felicitate conjungere noverit, ut ex hac ipsa beatitate hominum summa conditori nasceretur gloria, & divinorum attributorum commendatio; alterum, quod rem ita sit moderatus, ut hic ipse finis non tantum in proborum praemiis, ac beatitudine, sed etiam in sceleratorum suppliciis semper & invicte obtineatur. Nam in beatis quidem, ac fortunata immortalitate potitis mirum in modum elucebit, ac depraedicabitur immensa conditoris erga bene meritos bonitas, ac liberalitas; in improbis autem, & ad debita sceleribus supplicia condemnatis tremendus divinae justitiae rigor, ac severitas.

Schol. 2. Dum animam humanam hic immortalem assero, pono velut rem aliunde demonstratam contra *la Metrie*, *Morganum*, eandem esse substantiam expertem materiae, simplicem, quae nec partibus constet, nec iis dissolutis interire queat. Momenta hujus asserti praecipua alibi a me publici juris facta sunt. (c)


B 3

Juvat

(a) Conf C. T. Bardts System der Moral Theologie an. 1770.

(b) Ernesti neueste theolozische Biblioth. 1. Bandt S. 331.

(c) Vide Dissertationes Psychologicae editas a me Heidelb. an. 1766.



Juvat tamen meminisse argumenti, ut cl. *Clemmius* (a) vocat, novi, quo is probare conatur, mentem humanam meris materiae particulis varie inter sese coagmentatis constare haud posse . . . Ait igitur: certum est ex Anatomicorum consensu & maxime praestantissimi Anatomiae Professoris Parisiensis testimonio D. *Moscato*, fabricam corporis humani nec organorum subtilitate, nec agilitate, nec sensuum praestantia antecedere illam, quae reperitur in quibusdam animalibus, imo saepe ista esse inferiorem; neque tamen unquam belluas ad rationis usum, hominumque perfectionem aspirare posse, cum alioquin, ceu viribus & multitudine praecellentes facile eosdem abjecta servitute sub jugum essent missurae; inde confici, esse aliquam substantiam in homine longe praestantiorem materia, effectricem ejusmodi actionum nobiliorum, quae per instrumenta, materiaeque particulas ut ut artificiose compositas obtineri haud queant. Haec ratiocinatio neque nova est quantum ad rem, neque suo pretio caret; mihi tamen sat efficax esse non videtur contra *Cowardi*, *Collini*, *Lokii* argutias, qui asylum in ignorantia quaerentes, viribus materiae, plexuique molecularum ac fibrarum, forte adhuc incognitis, quaeque omnem cultellorum anatomicorum effugiant aciem, vim cogitandi adscribunt. Hi igitur opportunus ex motuum legibus alioqui inter sese pugnantibus videntur esse convincendi. (b)

Schol. 3. Non sufficit probasse mentem hominis esse substantiam simplicem, ac individuum, quae in morte dissolvi & interire nequeat; sed praeterea ostendendum, eandem etiam solutam corporis vinculis, pollere vi expedita ad cogitandum & volendum. Id autem melioris notae Philosophi conficiunt momentis potissimum Moralibus. Novum argumenti genus sibi detexisse visus est *Moses Mendelsohnius* eruditus Hebraeus Berolinensis, dum ait: (c) si homini post mortem nil superfit, quod speret, aut timeat; vita praefens erit summum bonum ipsi propositum, adeoque nunquam ille obstringi, neque cum ratione ab eo postulari poterit, ut vitam pro patria exponat; atqui haec consecutio est aperte erronea & communi civium felicitati inimica. Atenim si quid ego video, hoc ratiocinium procul dubio firmum ac solidum, aliis duntaxat verbis repetit argumentum, quod nostri pridem versabant philosophi, dum contendebant, sine praemio aut supplicio post fata expectando, non haberi sufficiens remedium a provido orbis gubernatore constitutum, quo homines ad officia impellerentur, praecipue ardua, felicitati tamen humanae societatis necessaria. (d) Magis aridet momentum, quo cl. *Kaestnerius* (e) utitur, a nemine, quod sciam, eo in lumine collocatum. Si animae, ait, post mortem hominis ita intereant, ut nihil percipiant, aut sentiant, erit in impii cujusque arbitrio, Deo insultare, ejus dominio, potentiae, vindicique Nemeli sese subducere, dum sibi gladio, aut veneno mortem consciscit, itaque cessat poenis esse obnoxius;


(a) Conf. H. Wilhelm Clemms vollständige Einleitung in die Religion 6. B. S. 376. an. 1772.
 (b) Vide Dissertationes Psychol. supra allat.
 (c) Moses Mendelsohns Phaedon, oder Gespräch über die Unsterblichkeit der Seele. an. 1768.
 (d) Conf. cit. Dissert. Psychologicae Heidelbergenses p. 133
 (e) Einige Vorlesungen in der königlichen deutschen Gesellschaft zu Göttingen N. I. an. 1762.

xius; id autem & entis summi attributis repugnat, simulque sceleratissimos quosque post immania flagitia ad mortem accelerandam incitaret, adeoque omnia vitae honestae fundamenta subverteret.

§. VIII. Quae hactenus sunt dicta de fine hominis, de mediis ad eundem procurandum necessariis, deque morum ac honestatis regulis, spectant hominem eo in statu, quem suapte natura habet, quemque Theologis *statum naturae purae* nominare placuit; a quo nempe absit omnis finis supernaturalis, omne donum naturae rationali indebitum, omnis religio caelitus revelata. Verum esse aliquam Revelationem divinitus manifestatam Theologi hodierni invidis argumentis demonstrant; (a) mihi semper magis probata illorum disputandi ratio, qui rem a *posteriori*, ut scholae loquuntur, id est ex indubiis miraculis, vaticiniisque impletis conficere tentabant. (b) Haec Revelatio, quae genuina non est, nisi in religione christiana, nos docet, hominem ad finem felicitatemque longe excellentiorem, quam quae solis naturae viribus obtineri queat, adeoque *supernaturalem* esse destinatum, idque ex mera numinis erga nos benevolentia

tia

(a) Innumeri prodeunt in dies libri contra Revelationis irrisores. Recentiores & insigniores quosdam praeter supra pag. II. laudatos memorare juvat. (1) Laudem non vulgarem meretur *Tractatus de religione Tomulis III.* auctore *Gregorio Simon S. Facult. Paris. Doctore an. 1756.* (2) Breve, sed elegans, nec minus solidum pro revelatione habes scriptum in *Journal Ecclesiastique an. 1773. p. 172.* (3) Diligentissime, copiosissimeque, quae pro revelatione, & maxime libris divinis vindicandis scripta sunt, collegit *Theod. Christoph. Lienthal Tomis XIV. h. t. Die gute Sache der in der N. Schrift alten und neuen Testaments enthaltenen göttlichen Offenbaruna.* (4) *P. Goldhagen S. J. Introductio in S. Scripturam, & nöthiger Unterricht in den Religionsartiklen* notiore sunt, quam ut hic memorari debeant. (5) Praeterea tamen nequeo insignem hodie in Gallis pro religione pugilem forte non ita cognitum omnibus, de quo is, quem supra laudavi amicus mihi plurimum colendus, in postremis ad me datis ita habet: Entre tous les Theologiens, qui se sont mêlés de la guerre contre nos pretendus philosophes, aucun ne s'y est tant distingué, & ne leur a porté de plus rudes coups, que *Mr le Franc de Pompignan Eveque de Pui en Velai.* Ce Prelat est un des plus grands Theologiens, qu'il y ait, non seulement en France, mais dans toute l'Eglise; il joint la force d'un stile eloquent a celle du raisonnement, & il n'est pas possible de lui resister. Apres avoir donné au public un petit livre, qui a pour titre: *Questions diverses sur l'incredulité* . . . ouvrage, qu'une savant de Geneve a exalté jusqu'aux nuës, & qui est effectivement un livre d'or; il publia: *L'incredulité convaincue par les propheties* en 2. petits tomes. . . Admirables encore, & qui fut suivie an. 1763. d'une instruction pastorale sur la pretendue philosophie des incredules modernes. . . Chef d'oeuvre d'eloquence & de raisonnement; ou il confond tellement l'incredulité, qu'aucun de ses partisans n'a osé y repliquer le moindre mot. L'on peut dire en toute verité, que ce savant & zelé Prelat a donné a nos impiés le coup de Massue. Il vient de couronner ses glorieuses ex editions par la: *Religion vengée de l'incredulité par l'incredulité elle même*, ou il met l'athée aux prises avec Deiste, & le Pyrrhonien avec l'athée; ici l'on voit les differentes sectes d'incredules se combattre, & se percer mutuellement, tomber les uns sur les autres, & venger ainsi elle même la religion des attentats, qu'elle a leur reprocher. (6) Etiam notanda *P. Stadler S. J. Religio demonstrata Ocipont. 1772.* Item lettres de quelques Juifs Portugais & Allemands a *Mr. Voltaire. Paris. 1769.* *S. Walsh's neueste Religionsgeschichte an. 1772. 2ten Theils. S. 46.* *Tacco similia opuscula antiquiora Amorsii, Gerberti, Buffarii &c.*



tia & gratia. Nam ille, qui suapte natura est Dei servus mortali constans corpore, corruptionique obnoxio, factus est Dei filius adoptivus, olim futurus divinae consors (a) naturae, gloriosa carnis anastasi, & immortalitate, simulque clarissimo divinitatis intuitu beandus, secundum illud: *videte, qualem charitatem dedit nobis pater, ut filii Dei nominemur & simus; (b) & rursus: videbimus eum, sicuti est. (c)*

Schol. Homo secundum hunc finem ac praerogativam spectatus, dicitur phrasi Theologica esse in statu *naturae elevatae*. Ut autem ad hunc scopum tam excellentem rite pararetur, modumque, quo Deus coli vellet, doceretur, ad legem naturalem ope ejusdem divinae revelationis varia accesserunt praecepta; quae quidem in lege scripta veteris Instrumenti erant plurima; sed modo per Christum, quantum ad ceremoniarum, judiciorumque formam sunt antiquata. Ipse autem humani generis reparator Christus JESUS in novo gratiae foedere ad naturae legem mandata adjecit perpauca, quae nempe duntaxat ad fidem revelatis mysteriis habendam, eamque profitendam, ad servandam Ecclesiae unitatem, atque ad baptismum, Eucharistiam, poenitentiam, ceteraque Sacramenta rite suscipienda, ac ministranda pertinent. Nihilominus ipsa juris naturae praecepta ope religionis christianae sunt clarius tradita, explicataque. Cumque in tanta mentis nostrae imbecillitate, ingeniorum, studiorum, temporum varietate necesse erat oriri dubia, erroresque in morum materiis, hinc ad sacrum hoc purioris doctrinae depositum illaesum conservandum, datus legitimus harum controversiarum iudex, ac dubiorum interpretes, quae est vox ecclesiae, ab omnibus, qui ethnicis ac publicanis (d) aequiparari nolint, audienda, quin ipsi ecclesiae, ejusque summis pastoribus facultas concessa, nova, quae ad finem illum supernaturalem, rectamque fidelium gubernationem sint idonea, condendi praecepta; atque haec omnia, quo pacto sint observanda, quaeque inde conflurgant christiani hominis officia, docet Theologia Moralis orthodoxa.

C A P U T III.

Historiae literariae Theologiae Moralis epitome.

§. I.

Solent illi, qui scientias ad genium hodierni tradunt seculi, historiam cujuslibet disciplinae literariam, puta notitiam de ejusdem ortu, progressu, fati, vicissitudinibus, praecipuisque scriptoribus prae-

(a) II. Petri I. 4.
 (b) I. Joann. III. 1.
 (c) Ibidem 7. 3.
 (d) Matth. XVIII. 17.

praemittere; cui consuetudini ut aliqua ratione nos accomodemus, tanto lubentius in quaestionibus saltem inauguralibus hanc spartam nobis exornandam sumpimus, quanto certius constat, perpaucos esse inter orthodoxos, qui eam nobis praeripuerint. (a) Cum igitur Catholica morum Theologia non tantum doctrinam de hominis officiis, sed simul de rite ministrandis, suscipiendisque religionis nostrae mysteriis complectatur; de utrisque singillatim erit nobis agendum. Et quidem quantum ad Moralia vitae humanae praecepta, ea non aliunde, quam a Deo ipso sunt repetenda, utpote qui eadem primum Adamo, ceterisque mortalium animis a se conditis altissime infixit; deinde lapideis impressa tabulis per Moysen compendio tradidit; tum per Prophetas aliosque viros divinitus afflatos ad Christum usque propagavit; a quo illa ad summum perfectionis apicem sunt evecta. Ex ore Divini hujus Magistri excepta sunt ab Apostolis,

a) Qui inter catholicos literariam Theologiae Moralis historiam speciatim delibavit, praeter eruditissimum nostrum Zaccaria in Dissertat. prodroma ad Editionem Lacroix & illust. de Ligoris, auctoremque Historiae Criticae Jesuitarum, scio neminem; quamvis hi ipsi potius in apologia, quam historia hujus scientiae adornanda versentur. Inter protestantes sunt tanto plures; omnes quidem iniquiores de orthodoxa morum doctrina censores; sed universos inflammato in Catholicam religionem, ejusque sacerdotes odio, ac maledicendi studio superat Goettingensis Doctor J. Petrus Miller in seiner vollständigen Einleitung in die theologische Moral an. 1772. Non memini, me politiore hoc nostro seculo scriptorem ex DD. Protestantibus legisse qui cum isto, aut inurbanitate, aut rerum nostrarum ignorantia, aut in asserendo confidentia sit comparandus. Vin' specimen egregiae, quam de nostris rebus habet, notitiae? Vide inter sexcenta alia, quae de viris egregiis (Theologos mysticos vocat,) Bonaventura, Gersono, Thoma de Kempis &c. dicat S. 338: Das sie die göttliche Rechtsgelehrsamkeit vernachlässigten . . und dadurch den Geist des Aberglaubens, und schwärmerischen Pedanterey immer weiter ausgebreitet haben. Et rursus S. 339. Das Hauptwerk dieser so Hochgerühmten, und rohen Seeleit verborgenen Weisheit, welche noch immer im Papstthume dem römischen Bischöffe mit Kanonisationen so viel zu verdienen giebt . . hängt obzugesehr . . so zusammen: (1) Jeder Mensch hat zwei Seelen: die sinnliche, oder halb thierische, und geistige. 2. Jene ist eine partikel von der Weltseele; diese hingegen ein Ausfluss aus dem göttlichen Wesen, oder vielmehr ein Theil der Vernunft des Logos in Gott. 5. Die Geister, nur zum Genuss erschaffen, sind unglücklicher Weise, und durch ein, uns nicht völlig bekanntes Verbrechen, aus jenem ewigen Lichte in diese untere Materielle Welt herabgesunken . . Et quae sunt similes naeniae Platonicae, dudum in Origene damnatae, nullique Theologo, vel aeternae Catholico sine calumnia tribuendae. Sed Audiamus, quid p. 559. de Theologia nostra Morali univerfim deblateret: Ich merke . . das die Evangelische Moral in der römischen Kirche weder recht gründlich, rein und lauter, noch überhaupt auf eine sehr vollkommne Art, so wenig auf den Kanzlen, als auf den academischen Lehrstühlen gelehret werden könne, oder auch dürfe. Subjungit dein causas hujus asserti, tanta cum inhumanitate, eriminandique libidine propositas, ut, nisi lingua vernacula magis exulta se discerneret, crederes esse scriptorem ex illo Lutheri seculo, ubi multorum judicio palma cedebat illi, qui alios vincebat convitiis. Sed relinquamus hunc hominem diguo sua petulantia Orbilio, Weislingeriana, aut alia simili ferula castigandum.



lis, ceterisque discipulis, consignata dein a quatuor Evangelistis, aliisque novi foederis hagiographis, quotidianis denique institutionibus ac concionibus in cunctas orbis Christiani plagas derivata.

Neque tamen quisquam horum omnium sollicitus fuit de systematico Moraliū officiorum compendio conscribendo. Neque enim Christus, Apostoli, aliique viri Theopneusti Professores agebant in scholis, sed erant totius humani generis magisterio destinati, neque immensus ille populus, ad quos verba faciebant, erat Philosophiae elementis imbutus, aut ad lectiones academicas percipiendas paratus; neque viris istis, qui mundo peragrando, convertendoque occupabantur, vacabat scribendis libris operam dare; quin imo ipse divinus Spiritus profana haec terrenae sapientiae aspernabatur ornamenta; sed, quos procurandae aeternae hominum felicitati admoveere decreverat, eas donis longe excellentioribus, puta patrandorum miraculorum, vaticiniorum fundendorum, admirandae vitae sanctitatis instruxit, itaque fidem auctoritatemque eisdem conciliavit. Atque his mediis adjuti Apostoli, eorumque discipuli, adductis tamen simul, ubi conveniebat, veteris instrumenti testimoniis, morum dogmata stilo plano, ac facili proponebant, confirmabant, illustrabantque, qui modus etiam per duo priora duravit ecclesiae nascentis secula, cujus exempla habes in celeberrimo *Hermæ* libro, (a) qui Pastor inscribitur, & *S. Ignatii* ad *Magnesianos* epistola.

§. II. Labente seculo tertio & multo magis proxime sequentibus, quarto & quinto Theologiae Moralis Christianae tradendae methodus aliquantum variata, quamvis doctrina ipsa sit semper eadem, ac immutata. Cum enim his temporibus multa praeclara ingenia, Ethnicorum literis egregie exulta, ad ecclesiam christianam accederent, morum praecepta jam majori apparatu, majori eruditionis, ac eloquentiae copia fuerunt explicata. Jam enim seculo tertio floruit *Alexandriae* Academia Christiana, in qua conspicui viri doctissimi *Pantaenus*, (b) *Clemens Alexandrinus*, *Origenes*, aliique; hi cum essent Graecae Philosophiae principiis imbuti, consuevissentque res perspicue ac ordine tractare, ut se omnium captui accommodarent, *Isagogen Indoctorum* ab *Isagoge perfectorum* secreverunt; & his quidem scripturam sacram, illis vero doctrinam catechetica[m] exposuerunt. Sed longe majora sumpsit incrementa Moralis Christianorum Theologia a summis illis ingeniis, & primi subsellii Patri-

(a) Vide Euseb. L. III. c. 3. item Cl. *Nourry* in apparatu Biblioth. Maxim. PP. Dissert. IV. a. 1. ubi analysi hujus libelli invenies, qui totus in motibus formandis versatur.

(b) Euseb. Hist. Eccles. L. V. c. X. *Adrian*, *Daude* Hist. Univers. & Pragmat. L. 2. C. 2. §. 5. P. 431.

bus, *Athanasio, Cyrillo Hierosol. Gregorio Nazianzeno, Chryso-
stomo, Basilio, Ambrosio, Hieronymo, Augustino* (a) multis-
que aliis, qui seculo quarto & quinto suis scriptis illustrarunt eccle-
siam, morumque dogmata miro mentis acumine, admirabili facun-
dia, & invicto rationum pondere explicarunt, exornarunt, ac sta-
biliverunt.

In tanta tamen eruditissimorum voluminum copia nulla occurrat lucu-
bratio, quae universa morum praecepta Christianis observanda, systematica com-
plexa methodo, uno filo pertexeret. Sed viri isti incomparabiles toti in dogmata
contra ecclesiae hostes vindicanda, gregisque sibi commissi curam intenti, pro
ut vel necessitas, vel occasio ferebat, vel Scripturae, qui erat sub manibus,
exponendae locus, aut exorta subin controversia postulabat, jam haec, jam
ista vitae christianae versabant officia, mox in illud, mox in aliud inveheban-
tur vitium, jam istum, jam alium tollere abusum satagebant. (b) Atque id
ipsum etiam Ecclesia, postquam per immortalis memoriae Imperatorem Constan-
tinum M. stabili frui pace licuit, in sacris comitiis congregata, Romanique Pon-
tifices, quorum responsa jam libere ex omnibus mundi partibus expetebant epi-
scopi, saluberrimis sanctionibus ad morum emendationem spectantibus, summa
cura ac solitudine agebant, & hinc novus Theologis fons patefactus, unde
vel pristina morum praecepta confirmarent, explicarentque, vel nova Christia-
nae disciplinae officia discerent. (c)


C 2

§. III.

(a) Quam indignis modis de venerandis istis Christianae antiquitatis luminibus loquatur homo
novitius Pet. Miller Doctor Goetting. pumilio nempe cum gigantibus comparatus, videre
est in *der vollständigen Einleitung in die Theol. Moral.* pag. 313. & seq. Illud petridiculum
quod, dum censuras fert iniquissimas, magnam semper animi aequitatem prae se ferat; quin
& SS. Patrum nomen iisdem invadeat, cupiatque *Superintendentes* vocari. Credo, ut rudis
plebs sensum sibi persuadeat, eos Lutheranae religionis fuisse Ministros. Sed quid facias? Pungit
nempe hominem vetustissimos illos, & minime suspectos veritatis, primaeque doctrinae Christianae
testes, tam crebro a se dissidere, & sentire nobiscum. Quodsi tamen magni isti viri interdum
humanitus aliquid sunt passi, & unus eorum a communi Ecclesiae doctrina recedat, non erecto
supercilio omnis illius auctoritas deprimenda; sed naevi debita cum reverentia ac mode-
stia indicandi. Sic suo docent exemplo grandes critici *Petav.* in notis ad S. Epiphan. Haeref. 59.
Melchior Canus L. 7. de Locis Theol. C. 3.

(b) Equidem *S. Ambrosius* tres scripsit libros praestantissimos de officiis, in quibus quot periodi, tot
sententiarum lumina; sed ii minime pro absoluto omnium officiorum Christiani hominis compendio
possunt haberi; scripti enim sunt praecipue pro Ecclesiae ministris, digni sane, ut ait *Annatus* in
Apparatu ad Theol. posit. p. m. 469. qui legantur in omnibus clericorum seminariis, quos-
que in suis, dum viveret, legi curaverat *S. Carolus Borromaeus*. Nec ipse *Augustinus*, quam-
vis in omnibus suis lucubrationibus ad systematicam scribendi rationem prae ceteris accederet,
praecellentique, quo omnes anteibat, ingenio, eximiaque eruditione huic muneri vel maxime
esset idoneus, rite digestum praeceptorum Moralium systema nobis reliquit; nihilominus libel-
lo, qui inscribitur: *Enchiridium ad Laurentium de fide, spe, charitate* quandam doctrinae
christianae summam complexus esse videtur, *Conf. D. Prosperi ab Aquila Dissert.* prodromam
ad *Dictionar. Theolog.* 1769.

(c) *Journal Ecclesiast.* an. 1773, m. Fevr. Discours sur la Theologie positive & Scholast, p. 162.



§. III. Adolescente demum seculo sexto sensim systematica scribendi forma in Theologiam introducta. Facem aliis praeferre visus Severinus Boethius Philosophiae ac religionis Christianae praeceptis apprime imbutus; is, cum libros quosdam de christiana morum doctrina methodo ac nexu systematico scriberet, aliis ad scribenda Theologiae compendia, minime tamen perfecta, animos addidit. Hos inter Isidorus Hispalensis, (a) Leontius Cyprius, (b) Anastasius (c) Sinaita, & seculo septimo Tajon (d) Caesaraugustanus, aliique. Sed omnibus seculo octavo palmam praeripuit S. Joannes Damascenus, qui justum Theologiae saltem Dogmaticae, (e) cui etiam subtiliores quasdam quaestiones immiscuit, compendium primus concinnavit, adeoque dignus fuit, a quo Scholastice suos natales, primamque epocham repeteret.

At Theologiae Moralis placita neque ille, nec quisquam alius ex subsequentibus seculis, usque ad duodecimum ordine ac systemate tradidit. Totus enim Theologorum octavi, & sequentis seculi labor erat in studio S. Scripturae ad exemplum Vener. Bedae, Alcuini, Strabonis, qui Glossam ordinariam ex Rabhani Mauri contexit commentariis, excolendo; cui etiam artem Dialecticam non pauci in cenobiis adjunxerant; nam ibi erat tum temporis scientiarum sedes, donec seculo decimo densissimae illae tenebrae, foedumque literarum omnium excidium in orbem terrarum incumberet.

§. IV. Sed nunc instituti nostri ratio postulat, ut etiam de altera Theologiae Moralis parte, quae ad Sacramentorum, & maxime Poenitentiae administrationem, susceptionemque spectat, aliquid dicamus. Equidem indubitatum est ex dogmate Catholico, jam in ipsis fundatae ecclesiae initiis Poenitentiae Sacramentum fuisse usitatum, & quod consequens est, certis regulis adstrictum. Nihilominus fatendum, has regulas fuisse potius *κατα παράδοσιν* ab apostolis haustas, quam scriptis consignatas. Ita ferme mos, temporumque ratio ferebat, ut Apostolici illi Patres paucissima literis proderent.

Verum propagata latius, & stabilita per Christianos Imperatores religione, defervescente etiam primaevae pietatis ardore, auctisque, ut fit in hominum mul-

a) Elucubravir libros Sententiarum tres.

b) Scripsit communes locos Theologicos.

(c) Reliquit libros Sententiarum quinque.

(d) Confer Nicol. Antonium T. I. Biblioth. Hispan. L. 5. c. 8.


(e) De Orthodoxa fide, Vide sis Bellarmin. de Scriptor. Ecclesiast. & Nat. Alexandrum. Hist. Eccles. Tom. 6,

multitudine, peccatis, pro quibus interdum Episcopi, interdum poenitentes (a) ipsi condignam statui poenam cum a S. Pontificibus, tum a S. Conciliis postulabant, coepti sunt quidam Canones praescribi in variis scelerum generibus usurpandi, quemadmodum docent diversa Rom. Antifistum *Siricii*, *Innocentii I.*, *Coelestini* Decreta, Ss. Patrum *Petri Alexandrini*, (b) *Athanasii*, (c) *Basilii*, (d) *Cypriani* (e) maxime in causa *Libellaticorum* epistolae. Neque conjecturis hic est opus. Extant etiamnum Canones Poenitentiales Conciliorum *Illyberitani*, *Ancyrani*, *Nicaeni primi*; item Graecorum Patrum *Petri Alexandrini M.*, *Gregorii Thaumaturgi*, *Gregorii Nysseni*, *Basilii*. (f) Extant pariter pretiosa antiqui rigoris monumenta, libri, ut vocamus, Poenitentiales, a viris immortaliter de hoc literarum genere meritis *J. Alberto Fabricio*, (g) *Antonio Augustino Episc. Tarracon.* (h) *Labbeo*, (i) *Harduino*, (k) *Speelmauno*, (l) *Morino*. (m) *Petito*, (n) & qui *Fabricii* effugerunt notitiam, *Martene*, (o) *Manfio*, (p) *Muratorio*, (q) *Harzheimio*, (r) vel recensiti, vel compilati, & in lucem editi. In tanto autem id genus Codicum numero inter graecos speciali memoria dignus *Petrus Jejunator*, qui primus seculo 6to compilavit praxim Graecis praescriptam in confessione peragenda. (s) Apud Latinos Princeps locus haud dubie debetur libris Poenitentialibus *Romano*, (t) *Theodori*, & *Beda*, ad quorum potissimum normam, testante celeb. Episcopo nostro *Wormatiensi Burchardo*, (u) illustrissimo Seculi XI. lumine, post seculum septimum ad duodecimum usque Poenitentiae Sacramentum fuit administratum

C 3

S. V.

- (a) Illustre hic occurrit *Theodeberti* Francorum Regis exemplum, qui a *Vigilio* Rom. P. interrogavit, qua poena plectendus foret is, qui fratris uxorem duxerat. Vid. Tom. I. Concil. Gall. ad an. 538.
- (b) Epistola canonica edita a nostro *Frontone Ducaeo*.
- (c) Epistol. ad *Ruffian*.
- (d) Epist. ad *Amphiloch*.
- (e) Epistol. 13. 19. 53.
- (f) Habes haec omnia collecta ab eruditiss. *Francolino*. L. I. de Poenitentiae Disciplina c. 4. & 5, ubi rursus mirari licet *Millevi* in crisi ferenda malignitatem, qui instar araneae non mel, sed toxicum ex floribus exsugit. Nam cum ex hac canonum severitate, ac multitudine cleri pro morum integritate laborantis curam ac sollicitudinem debuisset colligere, ille contra infert, magnam his seculis viguisse. morum corruptelam; quasi vero legum in R. P. rigor & austeritas legitimum foret depravatae communitatis indicium.
- (g) Tom. XI. Bibliot. Graecae.
- (h) Canonum Poenitent. collectio Venet. 1584.
- (i) Conciliorum Tom. VI.
- (k) Concil. Tom. III. p. 1771.
- (l) Tom. I. Concil. Angliae.
- (m) De disciplina in administrat. Sacram. Poenit. Paris. 1651.
- (n) Ad calcem *Theodori Cantuar* &c.
- (o) De antiquis ecclesiae ritibus.
- (p) Supplement. ad Concil. *Labbeana*
- (q) Tom. V. Antiquit. Italiae, medii aevi.
- (r) Concilia German.
- (s) Edita a *Morino* ad calcem voluminis de Poenitent.
- (t) Extat in collectione S. *Burchardi*. & Bibliotheca PP. Max. edit. Lugd. Tom. XIV.
- (u) Vid. Decret. L. I. C. 91. *Rhegino* in sua collectione C. 95. hanc. interrogationem singulis presbyteris ab Episcopo in iustandis Dioecibus faciendam proponit. An habeat Poenitentiale Romanum, vel a *Theodoro Episcopo*, vel a *Ven. Presbytero Beda* editum, ut secundum quod ibi scriptum est, interroget confidentem, aut confessio modum Poenitentiae imponat?



§. V. Seculo demum duodecimo cum Theologia, deserto Ss. literarum studio, Dialecticorum, Metaphysicorumque argutiis se totam dedisset, indeque jam a superiore seculo variis errorum monstris prognerandis ansam praeuisset, (a) viri quidam ingenio & eruditione praestantes, ut huic malo remedium quaerent, scientiamque hanc divinam his foecibus purgatam, in futurum etiam communiarent, coepere uberiora Theologiae systemata condere, in quibus fidei ac morum dogmata concinno ordine ac rerum nexu pertractabant, eaque laudatis S. paginae, Ss. Patrum sententiis confirmabant; simul tamen pro more illius aevi quaestiones subtiliores inspergebant. Hoc in negotio, ut alios praeteream, omnes superavit celeberrimus *Petrus Lombardus*, postea Parisiensis episcopus, qui partum suum hac ratione a se elucubratum, & in quatuor libros distinctum, *Sententias* appellavit, unde postea *Magister Sententiarum* audiit. (b) Hujus vestigia deinceps sunt secuti, quotquot fuere illius aevi clarioris nominis Theologi, puta *Alexander Alensis*, *Albertus M.*, *S. Bonaventura*, ac praeprimis memorandus *D. Thomas Aquinas*, qui omnes Theologiae Moralis placita (ut faciunt etiamnum intra monasteriorum septa plerique ex ordinibus religiosis Theologiae Magistri) cum quaestionibus scholasticis, dogmaticisque permixta, uno filo ac serie tradiderunt, adeoque hi ipsi pro ducibus ac coryphaeis non scholasticorum duntaxat, sed & Theologorum Moralium sunt habendi.

Inde sub haec ipsa tempora nata consuetudo, duplici ratione Theologiae Moralis dogmata tractandi. Alii enim, ut nuper dictum, *D. Thomam* imitati, perrexerunt Morum doctrinam cum Dogmatis fidei, acutioribusque erotematis conjungere, atque his *Scholasticorum* nomen adhaesit. Sed isti, cum paulo post, seculis scilicet 14to & 15to non tantum utiliora morum praecepta persequi, sed fidei etiam dogmata, sacrae Scripturae usum, linguarumque primigeniarum cognitionem negligenter, & potissimum sterilibus vitilitationibus,

(a) Hinc seculo XI. *Berengarius* insignis Dialecticus seductus, ut veram Christi in Eucharistia praesentiam Philosophicis cavillationibus impugnaret. Audi *Sigebertum Gemblacens.* De scriptor. Ecclesiast. C. 134. de *Berengario* ita loquentem: *Dum Dialecticis Sophismatibus contra simplicitatem fidei Apostolicae abutitur, nec se excusare, nec alios aedificare videtur, quia magis interpolat clara, quam dilucidat obscura.* Et cui ignota *Abaelardi*, *Arnaldi Brixienfis*, *Gilberti Porretani*, *Almarici*, aliaque invisa Ecclesiae nomina, quos immodicus Dialecticae inutiliumque subtilitatum abusus, ceu foecunda Portentorum Theologicorum parens tum temporis in orbem profudit. Conf. *S. Bernardi* Epistol. 190. & 195. item *Natal.* *Alexand.* ad secul. 12^o C. 2. Art. 8. 9.

b) Vid. *Bulaeum* in *Histor. Universit. Paris*, Tom. 2, Dissert. 4.

spinosisque indulgerent speculationibus; accidit, ut sacrosancta haec scientia multum de suo pretio, & quae inde in religionem manare debuerat, utilitate amitteret; adeo ut quo tempore fatalia illa *Lutheri*, *Calvini* molimina in Germania, Galliaeque perniciem prorumperent, paucissimos haberet Catholica Ecclesia, quos his Novatoribus opponeret. Sic certe cum inclinari coepisset res Catholica in Academia Heidelbergensi, & *Julius III. P. M.* eandem ad Tridentinum vocasset Concilium, duo duntaxat erant in hac studiorum palæstra utcumque versati Theologi, neque isti sat clari nominis, aut huic muneri idonei. (a) Nam heterodoxi cum sese in suis congressibus solis divinatorum librorum defenderent testimoniis, utique suo arbitrio explicatis; his autem armis tractandis minus assueti essent id genus Theosophi, philosophicis potissimum argutiis exercitati; hinc factum non raro, ut optima causa religionis advocatorum suorum vitio magnam auctoritatis, existimationisque jacturam faceret. (b)

§. VI. Neque tamen defuerunt omnino strenui pugiles, *Eckii*, *Cochlaei*, *Canisii*, *Gropperi*, qui cum adversariis paribus congressi armis, labantem in Germania rem orthodoxam sustentarunt. Quin imo ex tantis malis, quibus tum jactata fuit Christiana R. P. illud boni elicuit divina providentia, ut Catholici hac tempestate admoniti, & veluti ex somno excitati, (c) hoc ac sequentibus seculis 17mo & 18vo ad nostra usque tempora non tantum paecipuam Theologiae partem, S. scilicet Scripturae interpretationem impensius (d) exco-


lerent

(a) Horum nomina sunt *Matthias Keuler*, & *Henricus Stolo*. Vide Academiae Heidelberg. acta ad Conciliorum *Constant. Basileens.* & *Florent.* historiam anno superiore ex authenticis fontibus edita. p. 19.

(b) Non pauca hanc in rem idonea promi possent ex Tomis V. VI. VII. Annalium Academiae nostrae, qui historiam ab an. 1520. usque ad an. 1560. complectuntur; sed reservanda sunt alio loco.

(c) Sunt haec verba *Becani* nostri quondam *Mogunt.* & *Wirceb.* Theologi in Praefatione ad opuscula Tom. III. Audiatur etiam *Joannes Major*. Theologus Parisiens. in epistola L. 2. Sententiarum praemissa: *Lutherus hoc tantum boni suos inter errores intulit, ut sacris literis, & illarum illustrationi Theologi Professores sincerius insudarent.* Quamquam quanta sollicitudine pro puritate divinae scripturae vindicanda & conservanda vigilaverit jam ante *Lutheri* defectionem ecclesia, luculento argumento ostendit immortalis Cardin. *Ximenius*, qui adnitente Leone X. sumptibus immensis, (ad 50000. aureorum lecurrunt) conquisitis undique vetustissimis MSS. adhibitisque viris linguarum peritissimis Biblia *Polyglotta complutensis* edi curavit. Vide *Ciaconium* de vitis R. P. & S. R. E. Cardinalium Tom. III. p. m. 277. Hujus celeberrimae editionis authenticam frustra contra *Goezium* impugnat etiam inter suos heterodoxus *Semlerus* Prof. Halens. vid. *Allgemeine deutsche Biblioth.* Anhang zum 12ten Band. S. 942.

(d) Quis numerum ineat eorum, qui ab hoc tempore in S. literas sunt commentati? cui ignota *Salmeronis*, *Cornelii a Lapide*, *Maldonati*, *Menochii cum notis Tournemini*, *Tivini*, *Estii* &c. nomina? Quis sine laude commemoret Criticos sacros, quantumvis A catholicos, Criticorum Synopsin, & recentius Biblia S. vulgatae editionis . . . cum selectissimis commentariis, Vencitius. Amplum & pretiosum opus absolvitur 28. Tomis.



lerent, atque praeceuntibus viris immortalis claris elogio, *Petavio*, (a) *Bellarmino*, (b) *Gretsero*, *Wallenburgii*, *Bossueto* (c) ad genuinum Dogmatices ac Polemices studium applicarent animum; sed etiam, quod proprie est hujus loci, Theologiam Moralem, quam quidem plurimi pro more Doctoris Angelici, ut diximus, a Scholastica haud sejungendam putarunt, sibi expoliendam, & ad pristinum splendorem revocandam fumerent.

Et hinc prodire grandia illa & immensa eruditione referta volumina, commentariiue *Valentiae*, *Suaresii*, *Vasquesii*, (d) *Estii*, *Molinae*, *Lugonis*, *Haunoldi*, (e) aliorumque, (f) in quibus, quaecunque desideras morum ac vitae christianae officia uberrime explicata, miro mentis acumine distincta, gravissimisque firmata momentis reperies. Et quoniam subtiliorum, minusque utilium, quas adhuc frequentius interserunt hi scriptores, quaestionum spinae delicata hujus seculi offendunt ingenia, etiam in eo laboravit & adhuc laborat recentiorum *Simonetti*, *Antoinii*, *Cartierii*, *Vuitassii*, *Daelmanni*, *Fuenini*, (g) *Tournelii*, *Gotti*, *Billuartii*, *Amortii*, *Bertii*, & qui *Moguntiae*, *Wirceburgi*, *Heidelbergae*, *Viennae*, *Friburgi*, *Ingolstadtii* Academicas lucubrarunt Institutiones, Theologorum industria, ut relictis superfluis, ac minus fructuo-

- (a) De hoc audire juvat Cl. *Berty* Judicium in Breviario Histor. Eccles. p. m. 265. Tanta, ait, fuit omnigenae eruditionis in aliquibus copia, ut ad miraculum videantur excolti. In horum classe haud haesitanter locamus *Jac Sirmondum*, & *Dionys. Petavium* S. J. Presbyteros.
- (b) Cum aliqui ex Protestantibus, inter quos *Mosbemi*, hujus doctissimi Cardinalis conentur elevare auctoritatem, eamque dicant etiam inter Catholicos, quantum ad controversias Dogmaticas (Nam de R. Pontificis in temporalia potestate hic nullus sermo) hodie vilescere, peruperem celeberrimi critici *Muratorii* hanc in rem verba, quae *Bellarminiani* controversiarum libri in coelum tolluntur, ex libro: *Riflessioni sopra il buon gusto* P. II. C. X. afferre; sed quia prolixiora sunt, superfedere cogor. Sufficiat hic ad *Bellarmini* laudem, quod Anglia operae pretium esse duxerit, specialem erigere cathedram, Polemicis ejusdem libris refutandis destinata; qui honos nulli adhuc scriptori Catholico, nec ipsi, quem hodie tantopere jactant, *Bossueto* obtigit. Conf. Lettre de l'Eveque de Grenoble a l'Archev. de Narbonne.
- (c) Adversus *Basnagium* &c. Nec omittendus hoc loco auctor libri: de perpetua fide Catholica quoad Eucharistiam.
- (d) Non pigebit hic rursus audire testem minime suspectum, propter notam in Dictionario Jansenitico inultam, erga Jesuitas plus aequo haud propensum, *Laurentium Berty*, de Dummvirum istorum laudibus l. c. p. 262. ita differentem: At quoniam aliquos nunc Theologos memoravi, nefas est alios quosdam praeclarissimos praeterire. Quis enim vel a limine Theologiam salutavit, cui ignota sint *Francis. Suaresii*, & *Gabriel. Vasquesii* nomina celeberrima? *Suaresio* quidem nullum legimus modestiorem & doctiorem, atque nullum liberiorem, acriterque *Vasquesio*. Protulit istos foecunda doctissimorum virorum parens Societas JESU.
- (e) Tanta mentis perspicacia, tanta doctrinae copia, ac soliditate hi triumviri postremi scriptores omnia Justitiae, aliarumque virtutum officia sunt complexi, ut non solum a Theologis, sed & juris consultis, primis Juris Romani Magistris, ac fontibus sint accensendi.
- (f) Accuratissimum Scholasticorum, qui passim Theologiam Moralem admiscuerunt, catalogum, mirae eruditionis, & infinitae lectionis argumentum, praeclaro suo operi inseruit. *J. Baptist. Gener* S. J. Tom. I. Theologiae Dogmaticae Scholasticae perpetuis prolusionibus historicis, Polemico-criticis, nec non S. Antiquitatis monumentis illustrat. 1767.
- (g) Scio aliquos ex Theologis in hac lucubratione laudatis esse notatos in Dictionario Jansenitico, qui, & in Indice librorum prohibitorum an. 1758. vulgato: sed non ideo quidquid his libris continetur, reprobatur; aliqua enim saepe magnam merentur laudem.

fructuosis in tanta vitae brevitate plus temporis restet ad necessaria, magisque proficua tractanda, (a) neve oggeri possit illud *Senecae: necessaria nesciunt, quia supervacua didicerunt.*

§. VII. Haec de iis, qui Morum Theologiam cum Dogmatica, Scholasticaque copularunt. Sed cum non omnibus esset tantum animi, otii, aut patientiae, ut spatiosum istum Exegetices, Dogmatices, Scholasticas campum velint decurrere, neque id etiam ab omnibus officii ratio postulet; hinc eruditorum mos invaluit, Morum placita separata a reliquis Theologiae partibus conscribere, & in Academicis lectionibus interpretari. Primum ergo, quem novimus, id genus partum edidit *Bartholomaeus Theologus, & Praesul Oxoniensis, (b)* quem inscripsit: *Poenitentiale Morale omnibus sacerdotibus necessarium, ex Sr. Patribus desumptum.* Hunc secutus *Odo de Cheritona* ejusdem Academiae alumnus, qui concinnavit *Summam de poenitentia, cum pluribus ad decalogum, & peccata lethalia pertinentibus. (c)* Pariter *Petrus cognomento Cantor Parisien. Theologus Summam de Sacramentis, & Robertus de Flammesburia Poenitentiale* quatuor libris diffusum & praenobile ediderunt (d).

Nunc transeundum ad 12. seculum. & celeb. *S. Raymundum de Pennafort (c)* ex Incl. *S. Dominici familia*, qui totum post annum 1235. a se editum nuncupavit: *Summam de casibus Poenitentialibus*, libris quatuor comprehensam. Neque praetermittenda hoc loco *Alexandri de Ales, (f)* Summa de virtutibus, & Destructorium vitiorum, *Joannis de Deo* liber Poenitentiary, *Vincentii Bellovacensis* speculum Morale. Seculo decimo 14to memorandus *Joannes Friburgenfis, Clarissimus*
Asten-

(a) Confer hanc in rem Cl. *Gener* l. i. p. m. 192. & sensa ipsius Tridentini Concilii apud *Pallavic.* l. XII. c. 1. & 10. Ubi sancivit concilium, ut Theologi in exponendis sententiis breves sint, semotis inanibus & supervacuis quaestionibus, & clamosa contentione.


(b) Vide *Oudinum* in supplemento de Scriptor. Ecclesiasticis a *Bellarmino* omissis ad an. 1180. Confer quoque Cl. *Zaccaria S. Raymundo de Pennafort* gloriam scriptae primae Moralis Theologiae tribuit. Sed fallitur vir Doctissimus communi deceptus errore. Nam MS. hujus, aliorumque sequentium Theologorum ad finem denique superioris seculi e scriniis sunt educta, pblicique juris facta.

(c) Idem *Oudinus* ad an. 1184.

(d) Ibid. ad an. 1197.

(e) Editum Lovanii 1480. Coloniae. 1495.

(f) Hos tamen partus contra *Wadingum* scriptori juniori tribuit *Jacob Quettif Tom. I. Biblioth. Dominicanorum.*



Astensis, Monaldus, Henricus de Erfordia, Ranulphus Higdenus, Joannes de Burgo, ceteri. Nec minus celebres, qui Seculo 15to florere Moralis Theologiae scriptores, Charlierius Gerson, & insigne Academiae nostrae quondam decus Henricus de Hassia, (a) Nicolaus Dinkelspielius, S. Bernardinus Senensis, Angelus de clavasio, Baptista Trovomala, Joannes Nider, (b) S. Antoninus (c) Archiep. Florent. Joan. Capistranus, aliique plures.

§. VIII. Sequentibus demum seculis 16to, 17mo & 18vo, postquam ars Typographica (d) inventa, & latius fuit propagata, mirum in modum invaluit ardor libros Theologicos, praesertim de Quaestionibus morum scribendi. Infinitus essem, si vel eorum nomina vellem persequi. Ingentem catalogum ordine Alphabeti digestum ita tamen, ut eos non discernat, qui Scholasticam cum Morali una serie tradiderunt, suo praefixit operi *Lacroix*; quem virum quantumvis, ut infra patebit, non omni naevo liberemus, nec ubique sequamur; tamen in legendo indefessum, in recensendis, dijudicandisque aliorum sententiis aequissimum, acutissimumque Theologum merito compellaveris, in quo ferme collecta habes, quae per alios sparsa sunt. (e)

Neque

-
- (a) Scripsit Librum *de Clavibus, seu de confessione*. Vide *Jöchers allgemeines gelehrf. Lexicon*. Magistratum Academiae nostrae gessit ad an. 1400. ut habetur in libro *Imo Matriculae*. Codex antiquissimus membranaceus Facult. Theologicae de eo sic habet: *Anno Domini 1410 18. Decemb. Mgr. Henricus de Hassia Licentiatu s fuit in Theologia*. Discernendus tamen est ab altero *Henrico de Hassia*, Professore Vienne-nsi, qui praeter alia scripsit tractatum *de regulis discernendi peccatum lethale a veniali*. Vid. *Trithemium de scriptoribus Ecclesiasticis apud Fabric. n. 684*.
- (b) Celeb. Ordinis FF. Praedicator. Plura scripsit recensita a *Trithemio* mihi n. 780. Huc spectat *Consolatorium timoratae conscientiae de praeceptis decalogi, de contractibus Mercatorum*.
- (c) Celebris est ejus *Summa Theologica, & Summa confessionalis* saepius edita. Haec & alia plura habes in auctario *Auberti Miraei*, apud *Trithemium* de scriptor. Ecclesiast. Et in *Dissertatione Prolegom. Historica ad Theologiam Moralem illustriss. de Ligorio*. Unde multos eorum seculorum Morales Theologos omittimus.
- (d) Auctor *der Vertrauten Briefen zwischen einigen geistlichen*, 2. Band an. 1773. Vir non minus eruditionis copia, quam ingenii, stilique elegantia commendatus, intra unius anni spatium numerat libros Theologicos facile centum, unica in civitate Suae-tiae typis editos, quod certe signum non est desidiae, aut ignorantiae, quam aliqui hoc tempore hominibus ecclesiasticis inter catholicos tribuunt. Illud tamen inde colligas, quanto bono literarum nata sit ars typographica, quodque huic praecipue debeamus scientiarum, quae hodie tantopere in Germania florent, restorationem, & incrementa, non autem, ut quidam ridicule factant, religionis novatoribus. Constat enim bonas artes magnorum virorum conatibus restauratas, dudum in Italia, Galliaque fixisse domicilia, quam in Germanica partim nondum erecta Academiae acatholicarum migrare potuerint hospitia.
- (e) Novam curavit editionem P. Zaccaria, eamque doctissimo *Dissertatione*, variis Rom. Pontificum, S. Congregationum, eruditisque locupletavit animadversionibus, Ravennae an. 1761.

Neque praetereundi summi ingenii, primaeque notae Theologi, qui immortalis cum nominis fama uni morum doctrinae dederunt operam, eamque scriptis aeternum victuris illustrarunt, quos inter haud dubie collocandi *J. Thomas Sanchezius, Lessius, Castropalaus, Henriquez, Toletus, Elizalde, Comitulus, Gonzalez, Koninck, Terillus, Azorius*, & quae est singularis Palatinatus gloria, *Paulus Laymannus Bipontinus, Gobatus, Tamburinus, J. Cardenas, Viva, Heislingerus, Illfungius, Reginaldus, Filiucius, Gisbert*, & qui recentius accesserunt, *Reuther, Edmundus Voit, Mazotta, Antoine, Wagemann*, innumerique, quos ex sola Societate JESU afferre possem. Neque his inferiores alii Morales Theologi omni laudum genere cumulatilimi, *Navarrus, Sylvius, Patres Salamanticenses, Bonacina, Sporer, Babenstuber, Holzmann, Strugel, Clericatus, Tournelius, Habertus, Pontas, Collet, de Ligorio*, (a) *Antonius Caesaremontanus*, (b) *Lucius Ferraris*, (c) *Corbinianus Luydl*, quibus non dubitamus accensere immortalem *Benedictum 14tum P. M.* cum propter praestantissimum partum *de Synodo Dioeceseana*, cum propter *Institutiones Ecclesiasticas, casus conscientiae* ipso mandante propositos, ac vulgatos, aliasque quaestiones in *constitutionibus Bullario insertis*, insigni cum eruditione Theologica discussas ac decisas. Neque sua laude fraudandi, quos capite primo recensuimus, *Concina, Patuzzius*, ceteri (d), dummodo convitia, & indignam christiano Theologo demas obtrectandi libidinem. Deum bonum! Quando finis erit ejusmodi inter orthodoxos, ac religiosos homines concertationibus, quibus, dum pro sententiis ac legibus pugnatur adhuc incertis, ac dubiis, prima illa, certa, & capitalis charitatis lex

D 2

tanto

(a) Illud memorabile, quod illustriss. iste *S. Agathae Gothorum Episcopus* in famosum hodie *Busenbaum*, de quo alibi, sit commentatus, eumque pro basi celeberrimae suae Theologiae Moralis jam sextum Romanis typis editae adhibuerit, haec novissima adornata est an. 1767.

(c) Est auctor incliti ordinis minorum *S. Francisci Cappucinatorum*, inscribiturque: *Theologia Moralis* &c. *Argentinae* 1767.

(c) En titulum: *Bibliotheca Canonica, juridica, Moralis Theologica* &c. auctore *Lucio Ferraris Soler* - *Alexandrino Ordinis Regular. Observant. Lectore Jubilato*, recusa *Venitiis* 1770.

(d) Ex tanta Theologorum Moraliū abundantia colliges, quid de notitia rei literariae apud Catholicos, quam sibi comparavit *D. Millerus*, sit sentiendum, qui postquam l. l. c. 367. tres scriptores in re Morali apud nostros parum celebres, scilicet *Nicolium, Lamium, Rappinū* (Risum tenere, quotquot unquam Theologos Morales Catholicos trivittis) laudaverat, pergit: *Gleichwol sind mir auſſer einigen guten Predigten, keine Bücher und Schriftsteller mehr bekannt, die ich sonst sehr gern so weit sie es verdienen, rühmen wollte. Sed bona cum venia D. Doctoris dicam, eundem haec in re minime idoneum esse judicem, cum plane nesciat, quid catholici in id genus libris, ut sibi probari possint, requirant. De suis Theologis Moralibus loquentem aequiore animo audiamus: Laudat c. 352. & seq. Vastum opus *Moshemii*, novem in partes digestum, cuius quatuor postremas ipse adjecit. Commendat deinceps Theologiam Moralem *DD. Baumgarten, Lessi, Schubert*. Est etiam praeter istos in manibus meis *C. Friderich Hardts System der Moral; Theologie* 1770. Plura habes in *Walchii Bibliotheca Theologica selecta* P. II & *Majeri Bibliotheca scriptorum Theolog. Mor. & conscientiarum* vid. etiam *Matth. Christoph Pfaffii Introductio in historiam Theologiae literariam* pag. m. 268.*



tanto cum pusillorum scandalo, alienaeque famae detrimento laeditur. Non ego hic Probabilistarum ago patronum; malim inter utramque phalangem exemplo cl. viro- rum *Danielis*, *Rafsleri*, *Amortii*, *Ruppii* stare medius. *Abundet*, per me licet, *quilibet in suo sensu*. Unum peto, ut res rationibus agatur, non cri- minationibus; ut absit omnis acerbitas, invidiosa (a) *Laxismi*, vel *Rigorismi*, ita enim vocant, *compellatio*. *Omnes uni laboramus magno Patri familias*, (b) ab illo eundem *expectamus denarium*. *Omnes ministri sumus ejus* (c), *cui creditur Ecclesia*; *unusquisque sicut dedit Dominus . . . unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem*. Incipiamus ergo eam colere *charitatem Theo- logicam in terris, quae nunquam excidit*; (d) *sed perpetuo, dulcissimoque vin- culo nos conjunget in caelis*.

(a) Quae hic de variis inter Morales Theologos studiis ac contentionibus addi possent, partim in primo capite hujus scripturae criticae occupavimus, partim ad specialem de probabilismo historiam spectant.

(b) Matth. XX. 9.

(c) I. Cor. IH. 5.

(d) I. Cor. XIII. 8.


O. A. M. D. G.



© The Tiffen Company, 2007










TIFFEN® Gray Scale

A	1		R
	2		G
	3		B
	4		W
	5		K
	6		M
	7		Y
	8		R
	9		M
	10		W
	11		K
	12		Y
	13		C
	14		B
	15		M
	16		W
	17		K
	18		Y
	19		C
	20		B



TIFFEN® Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2007

Blue		Cyan		Green		Yellow		Red		Magenta		White		3/Color		Black	
-------------	---	-------------	---	--------------	---	---------------	---	------------	---	----------------	--	--------------	---	----------------	---	--------------	---

